

ter quos calumnia agebatur, et canonicorum nōstrorum, scilicet Arberti archidiaconi (15), Bladini decani (16) et Girini capellani nostri, Berardi, Orsellii, Stephani de Portu et multorum aliorum canonicorum, in claustro residentium, judicaverunt atque definierunt quod omnes supradictas ecclesias Arbertus Sancti Ruphi atque canonici perciperent donationem et investituram, quam beatæ memoriae Gibuinus Lugdunensis archiepiscopus (17) ecclesiae Sancti Ruphi, cum consilio et auctoritate mea, fecerat, qui tunc temporis eram Diensis episcopus et in his partibus apostolicæ Sedis legatus, omni sopita querimonia tenerent atque jure perpetuo possiderent. Nos vero donationem domini Gibuini præfati archiepiscopi et judicium tantorum virorum prosequentes, supra dictas ecclesias, salva nōstræ ecclesia reverentia atque obedientia, Arberto Sancti Ruphi suisque successoribus atque canonicis concedimus atque laudamus, et litteris præsentibus confirmamus; ecclesiam vero Sancti Juliani, fundatam in territorio quod dicitur Condoisieu (18), ad præminatam ecclesiam Beatæ Mariæ, dono domini Gibuini venerabilis archiepiscopi, eodem modo pertinentem, ecclesiae Sancti Ruphi concedimus atque laudamus.

Hæc carta facta est Lugduni, decimo calendas julii, anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo secundo; hujus autem cartæ testes et laudatores sunt hii: Blandinus decanus, Arbertus archidiaconus, Almannus camararius, Girinus capellanus, Berardus, Orsellus, Aino, Bono et Odo canonicus et archipresbyter.